

37

PROPEMPTICA

IN

Discessum ex Scholâ Halensi in celeberr.
Academiam Helmæstadianam

IVVENIS, eximio indefessq; pietatis,
virtutis, & doctrinæ eruditæ studio ornati,

CONRADI BRANDI
ERFVRTENSIS:

Viri ampliss. Spectatiss. & senatoriâ
dignitate in florentiss. Rep.

Erlurtensi præstantis,

Filij:

SCRIPTA

ab

Amicis & Condiscipulis, Scholæ
Halensis alumnis.

IV. KL. Ma'j,

CID. ID. VC.

Halæ Saxonum,
TYPIS A. CHATII LISCANI.

75



Rgò Saxonis abiens, CONRADE, Salinis,
Parnasi propius sub juga castra moues?
Magnum aliquid de te jubeo sperare parentes,
Felices studijs quos fore dico tuis.
Magnum aliquid de te patriam sperare jubebo,
Nam studij fructus sentiet illa tui.
Sed prodesse Patri & Patriæ pulcerrima laus est,
Hæc nisi quem decoret, cætera nullus erit.
Sic bene sic publicis rebus bene consulis, & sic
Commoda priuatæ prouehis ampla domus.
Perge igitur: quantò plus est sub vere laborum,
Vberior tantò gloria messis erit.

M. Leonh. Martini
amoris ergò F.

A L I V D.

Signa celer Phœbus jam bis duodena peregit;
Phœbe orbem impleuit bisq; quaterq; cauum
Vno hîc conuictu quando vsi, vnoq; cubili,
Atq; Magistro vno, Patre, domi fuimus.
Vnus amor nos coniunxit; par atq; voluntas:
Vnum cor, eadem mens & vsuq; fuit.
Suliadesq; quod Isacidæ fuit; hoc mihi BRANDVS
Sincero verè, vero & amore, fuit.
Orta nec est animis vnquam dissensio nostris:
Vnum velle; vnum nolle, duobus erat.
Pectora contrinxere eadem studia, ardor & idem
Discendi, solidè juncta vtriusq;, magis.
Glutine sed magis & firmo obfirmavit vtrosq;
Vna eademq;, colens Numina sancta, fides.
Vera enim amicitia est, vero & fundamine sulca,
Quam studia & pariunt sacra, timotq; DEI.
At studia hæc studijs quia præluxere alijs: hinc
Inter nos ille est mutuus ortus Amor.
Quem pater obseruans lætus; dilexit amore,
Quo me, quo Fratres, te quoq; BRANDE, pari;

Patri (vt ego) fueris nullo discrimine: cūlus
Sum mihi testis eg; tu tibi testis eris.
Nunquid at in nobis hæc est mutata voluntas?
Non est: Curæ artes sunt enim vtriq; bonæ.
Nunquid & hæc nostrum mutata in vtroq; parente?
Non est: Curæ artes sunt enim vtriq; bonæ.
Nam volumus, nostriq; volunt vtriusq; parentes,
Nos petere Aoniæ culta Lycea scholæ.
Dotibus ingenij, Clarisq; opibus, fide & aucti;
Vt commune bonum simus, honosq; DEI.
Obsequio ergo pio petitur tibi IULIA, BRANDE,
LEVCOREA atq; mihi (est vtraq; clara) SCHOLA:
Sed petitur simul ILLA tibi; HAEC mihi, tēpore eodem;
HAEC nostrum vnus erat ceu SCHOLA vtriq; locus;
Vtraq; parte aliquā crescens Academia alumnis
Nostris; sit numero vt pluribus aucta magis.
An verò minuetur amor fraternus vtriq;,
Quando alius recipit corpora nostra locus?
Absit vt hic minuat; vt ille accrescat in æuum,
Cumq; ætate simul, iudicioq; simul:
Duret in æternam simul & post funera vitam,
Fructus ubi in Cœlo plenior eius erit.
Corporis haud verò præsentia reddit amicos;
Cordis at affectus; fulta Deoq; fides.
Quæcunq; interea capiet nos terra; colemus
Dulcem constanti foedere amicitiam.
Et memores fidâ monitorum mente Parentum,
Pars erimus semper grata Polo, atq; Solo.
Christophorus Cæsar
Halensis.

A L I V D.

E nostrâ quod, BRANDE, Scholâ discedis, & vrbes;
Non parum ego lætor; non doleoq; parum.
Tecum ideo lætor, quoniam doctâ arte repleuit
Versati hic pectus turba nouena tuum;

As

Ve

Vt coluisse queas benè docti Lycea deinceps ;
Vnde tibi celebris nomine surgat honos.
Nec tantum lætor tecum ; sed & opto benignus
Vt faueat studijs CHRIS TVS Apollo tuis.
At doleo ; haud doleoq̄ ; parum ; cum mente voluto,
Qui nos Theseo pectore junxit amor ;
Quamq̄, optata fuit mihi conuersatio tecum ;
Nos formando vnus quando Magister habet.
Quòd mihi nunc fructu video grato esse carendum
Dulcis amicitiae, dulcis & alloqui.
Sed quoniam èq̄, malis, minus elegisse, duobus
(Vtraq̄, quando simul non fugienda) decet ;
Eq̄, bonis quoniam, potius tenuisse, duobus
(Vtraq̄, quando simul non potienda) decet :
Eligito, BRANDE, inter vtrumq̄, quod esse putabis.
Mente tibi POTIVS prouidiore BONVM :
Vitato solers, quod & inter vtrumq̄, putabis
Nempe animo MALVS prouidiore MALVM
Optimum at esse putas, virtute excultus & arte,
Si missa hac, subeas cella Lycea, scholâ :
Vt citius possis studiorum absoluere telam,
PVBLICA opem videat RES citiusq̄, tuam.
Congruit & quoniam sibi nostrum vtriusq̄, voluntas :
Velle ego non aliud debeo, quam vel idem.
Debeo ve le ego idem : non quod mihi conuenit : at quod
Communi expediat rectè aliquando bono,
Sunt etenim verâ semper ratione quibusq̄,
Publica priuatis anteferenda bonis.
Nisi faciam, videarq̄, iniurius, inuidus atq̄, :
Sicq̄, inimicus ero ; non ego amicus ero.
Commoda præuertens aliena, iniurius : at qui
Inuidus, excludens indetibi apta, vocer.
Sic nec amicus ero : Nam gaudet amicus amici
(Non solo affectu, sed ratione) bonis.
Quare cum nobis præsentibus esse negatur
Vnâ ; ceu corpus, non ita mens aberit.

Mens

Mens juncta vsq; : sed auulsum est modò corpus amicis;

Vna anima in gemino corpore eis habitat.

BRANDE quòd ergò lubens facio, faciamq; : deesse

Officio & nolis scilicet ipse tuo.

Perpetuò mihi eris præiens, longissimè & absens :

Absens sim præiens non minus ipse tibi.

Sic CHRISTVS nobis verus tibi Apollo fauebit;

Sic doctus, clarus sicq; beatus eris.

Adolarius Quietus

Halensis.

ALIUD.

TV quoq; Virtutis tentas penetrare recessus,
Gloria Pieridum summa future choro.

Dura nec immotum, raræ, vestigia terrent,

Quò minus inceptum progrediaris iter.

Nec rupes retrahunt, nec laxa rigentia saxi,

Quo minus Aonijs scandere recta velis.

Scandere tecti cupis Parnasi montis, alumnus,

Mularum vilens cæstra sacrata, domus.

Nec labor Hercules terret; mixtusq; labore,

Immensus sudor, sarcina, cura, dolor.

Ingrediens Virtutis iter, Virtutis amarus

Greßus, illius cultor & ultor ades.

Tangit honestus amor juvenilia pectora flammis,

Ad Virtutis iter tangit honestus amor.

Fallor? an eximio laudum perculus amore,

Præclarum nomen laude parare cupis?

Visis egregiè summis Virtutibus auctus,

Et Patris, & Patriæ laudq; decusq; domus.

Macte nova Virtute, Deus conatibus adfit

Castis, & semper te regat, atq; regat.

Virtuti studeas; quamuis mala multa ministret;

Per mala coelestis ducit ad astra Ducis,

A 3

Sperne

Sperne voluptatem; quamuis bona multa ministret;
Per bona nam Ditis ducit ad antra truci.
Vita feris est hei similis, nisi moribus aucta,
Virtutis studio conuenienter eat.
Proptera pergas coeptam benè texere telam,
Haud quauis parcens parte vel arte tibi.
Quæ rata sint opto; mundi Sator annue votis,
Quo pede coepisti, sic benè semper eas.
Sis patriæ Vires, Matri patriqve Voluptas,
Gratvs erisqve Viris, gratior Iple Deo.

Johannes Haberlandus Junior,
Brunovicensis: Scholæ Ha-
lensis discipulus.

A L I V D.
Anagrammatismus;

CONRADVS BRANT.
CANDOR TVRBANS.

Est in te CANDOR, TVRBANS de pectore succum;
Non quod perturbet, Candor is, ingenuos.
Si vitium esse putes, poterit non Candor adesse;
Si modò Candor adest, ne vitium esse putes.

Ædior;

Nil CANDORE magis gratum est, nil pectore tali,
Quod decorat planā candida mente fides.
Quanti ergò fiet BRANDVS? cūi CANDOR inesse
Gaudet; at exTVRBANS quod simulando nocet.
Chronodistichon:

Dat ConraDe IsthæC tibi König, Aprilis Eols
LVX Vbi VICenâ, & sexta erat orta LoClis.

Georgius König
Glauchensis.

A L I V D.

Nulla dies adeò diluxit ab axe serena,
 In quâ non nubes turbida visa fuit,
 Nec fundus foecundus ita est, ut non sit in illo
 Mixta terè sterilis frugibus herba bonis.
 Nil adeò constans unquam fors improba fecit,
 Quod semper maneat, certum habeatq; locum;
En etenim BRANDVS procul his discedit ab oris,
 Quo mihi nemo Halâ carior urbe fuit,
 Qualis lucebat raræ pietatis in illo,
 Atq; salutiferæ religionis, amor.
 Qualis menti inerat candor, probitasq; fidesq;
 Pectus alebat eos, quos dabat ore, sonos.
 At nunc unde tibi subita hæc mutatio mentis?
 Siccine vis socios linguere BRANDE, tuos?
 Tendere cur gressus longos ad moenia tentas,
 Quæ procul à patriâ sede remota jacent?
 In promptu causa est: præclaras Palladis artes
 Hausisti, Aonidum captus amore, puer.
 Visere jam tibi mens mites Heliconis alumnas;
 Fama sit ut clariâ notior arte tua.
 Quare carpe viam fausto coeptam omine: namq;
 Hinc TE Fata vocant; vox patris ipsa vocat.
 O utinam similem, Solis, mihi, præuius ortus,
 Afferat à nitido Lucifer axe diem.
 Lætus abi: at quascunq; trahunt TE Fata per oras
 Immemor haud esto, Sympatriota, mei.
 Spiritus hic prius aëreas rapietur in auras,
 Quàm sit cura meo pectore pulsa tui.
 Assiduè veteris meminisse iuuabit amici,
 Est cui rura fides; non simulata fides.
TE Regat ipse DEVS, precor, & nullius egentem
 Præstet opis, coeptam dirigat atq; viam.

Nunc

Nunc T E Phœbus amet, faciles tibi præbeat aures;
Nunc pleno Clarias imbibere gutture aquas.
Sic tua laus, & honor, patriæ decus, atq; parenti,
Magnum, dum cœlum sidera voluit, erit.
Hoc verò exiguum vultu, CONRADE, sereno
Munus amicitiaë fulcipe; VIVE, VALE.

Constantinus Casselman
Erphortensis.

FINIS.

A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom








B.I.G.

Farbkarte #13



PROPEMPTICA

IN

Discessum ex Scholâ Halensi in celeberr.
Academiam Helmæstadianam

IVVENIS, eximio, indefessoq; pietatis,
virtutis, & doctrinæ eruditæ studio ornatî,
CONRADI BRANDI
ERFVRTENSIS:

Viri ampliss. spectatiss. & senatoriâ
dignitate in florentiss. Rep.
Erlurtensis præstantis,
Filij:

SCRIPTA

ab

Amicis & Condiscipulis, Scholæ
Halensis alumnis.

IV. KL. Maij,

CIO. ID. V G.

Halæ Saxonum,
TYPIS ACHATII LISCANI.